

durities, aut suppressio, siccitatem intestino-
rum innuit.

*¶ Quas partes corporis, & quos affectus hu-
miditas significat.*

CAP. IX.

Membra corporis humani humida in-
temperie non solum tactu talia, hoc
est mollia & laxa deprehenduntur, sed
etiam pituitosis excrementis redundantibus,
quæ ab eis eijciuntur. Propterea pituitosi hu-
moris & excrementitij redundantia naribus,
aut palato deiecta humidam cerebri intempe-
riem significat: ob quam ad somnum propen-
sio maior fit, quàm naturæ conueniat. Talis
autem somnus senibus excrementosis inest, qui
somniaulosi esse solent. Præcipua nanque so-
mni causa humiditas cerebri est: quam augment
cibus & potus immoderatiùs sumpta: quem-
admodum etiam medicamenta somnifera, at-
que æstus. Hoc enim vapores ab inferioribus
corporis partibus ad cerebrum feruntur: ubi
coacti refrigeratiq; in aquam mutantur, qua
ipsum cerebrum magis magisque humescit &
refrigeratur. Humidam quoque ventriculi in-
temperiem significat frequens saliuæ excrea-
tio, sitis priuatio. Intestina denique humidio-
ra testantur alui excrementa liquida, nisi è ce-
rebro